

contraxerant, fede subtraxerint, in antiquis historiis invenitur¹. Super hanc Iulius Cesar, dum Pompeianos persequeretur, irruit, eamque diruit, unde Lucanus (III, 360) eum perhibet exclamasse: 'Massiliam delere vacat, gaudete cohortes'. Ad hanc urbem post ascensionem Domini sub persecutione Iudaica divina providentia transfretantes, applicuisse leguntur beatus ex discipulorum Domini numero Maximinus, sanctus quoque Lazarus post quadriduum á Domino suscitatus, sed et Maria Magdaléna cum Martha, venerande sorores² ipsius, et quem Dominus illuminavit ex sputo, Cidonius nomine, cecus natus. E quibus sanctus Maximinus primus Aquensis provincie metropolitanus, sanctus Lazarus primus Massiliensium episcopus est effectus, sed post longa temporum spacia, cum gloriosa sorore Maria, per prefatum Burgundie principem Gerardum apud Avalonem castrum suum est inde transvectus. Apud Massiliam igitur constitutos multis detinuit nos diebus armorum, escarum et navium necessarius apparatus, spectantes ab alto rupium faciem maris incertam et lubricum eius statum, et auram velis accommodam expectantes. Quam statim ubi bonorum largitor omnium largiri dignatus est nobis, presentem epistolam studui dirigere vobis, tam breviorē studio³ scribendi quod habui, quam plus quam debui longiorē. Super quo precor ignoscite, quia nostis esse difficile, parum scienti multa breviter expedire. Felices iam pridem de nostratibus transmarinis, de milicia cristiana rumores et terra promissionis audistis, sed auditis addere non licet, nisi confirmare tantum audita, multiplici testimonio fame letificantis auditum. Preter hec nichil aliud dignum habui vobis mandare, quam orare pro nobis, et bene valere.

Iam quia vela volant, vos ut volumus valeatis,

Utque placere Deo valeamus, vota feratis'.

Auch den folgenden 35. Brief (fol. 130 und 145^v), aus dem Lager vor Accon, habe ich doch geglaubt mittheilen zu sollen, obgleich er leider mehr antiquarische Gelehrsamkeit als Thatsachen enthält. Er möge aufgenommen werden als ein Beispiel der damals so eifrig, wenn auch mit Ungeschick betriebenen gelehrten Studien; die Hauptquelle seiner Weisheit ist Isidor.

'G. de Basochis carissimis et clarissimis tam indole quam sobole nepotibus suis, tam probitate proficere quam etate. Promissi memor et propositi tenax, quibus vobis teneor obligatus, mee peregrinationis itinerarium vobis exponere, quia iam⁴ in premissa partem epistola sum executus, a Francia

1) Wo? Die gewöhnliche Ueberlieferung von aurum Tolosanum ist ganz abweichend. 2) So ist fol. 129 verbessert statt 'veneranda sorore'.

3) 'desiderio' fol. 141. 4) 'non' fol. 130.